

Q. N. 351, 3.

X 1860 424

II f
510

נדר

DISPUTATIO METAPHYSICA.

De

COMPLETO ET INCOMPLETO

Quam

Deo T. Optimô Maximô annuente

&

Amplissima Facult. Philosoph. concedente

PRÆSES

M CHRISTOPHORUS SCHREIBERUS

Fürstenauiensis Neo-March.

Publico Philosophantium examini sistit,

RESPONDENTE

DANIELE CORTHYMIO


Ascaniâ-Saxone.

Ad d. 7. Septembr. in Audit. Minor.

Horis consuetis.



112-



VVITTEBERGÆ

Excudebat Matthæus Henckelius

M, DC, LXI.



910



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.





I. N. J. S. N.

Proœmium.



ETAPHYSICA EST DISCIPLINA UTILISSIMA. Verum est, & verò verius Philosophorum effatum. Unde Plato eam *Θριγκὸν καὶ τέλῃ* perfectionem & munimentum reliquarum scientiarum vocare non dubitavit. Utilitate ergò ejus permoti, sequentem ex ea selegimus materiam, cujus theoriam tribus proponemus articulis. Sit itaque.

ARTICULUS I. THEOREMATICUS.

Theorema

I. COMPLETUM & INCOMPLETUM constituunt affectionem entis disjunctam, primariam, mediatam.

§. 1. Duo in hac thesi occurrunt. Primum est subje-
ctum, completum nempe, & incompletum. Utriusque hîc no-
tetur 1. *Etymologia*, quâ *completum*, uti cuilibet patet, dicitur à
complendo, eò quod essentiam habeat completam, & in se ter-
minatam, sive jam à seipso, sive ab alio acceperit eandem. 2.
Homonymia. Sumitur completum cum opposito suo imprimis
bifariam. 1. *Participialiter*, sicque, ut vocab. passivum, habet
respectum ad aliud, agens nempe seu complens, à quo com-
pletur. Et h. m. iterum dupliciter accipi solet, quippe vel *in-*
trinsècè, *essentialiter* & *constitutivè*. Et sic completum dicitur
omne id, cujus essentia à materia & forma, ceu principiis in-
trinsècis est completa. Vel *extrinsècè* & *effectivè*. Hòc mo-
dò completum dici solet, quod ab efficiente causa, ceu exter-
no principio tale est. 2. *Nominaliter*, quâ ratione nullum invol-
vit respectum ad agens; sed cum præcisione ipsius respectus
notat omne id, quod habet esse in se terminatum, sive jam il-
lud esse habeat per se ipsum, sive per alias causas priores,

A 2

&

& principia id ipsum complementia. Huc revocamus distinctionem completi & incompleti in completum & incompletum in essendo & subsistendo. Completum in subsistendo est, quod habet ultimam subsistentiam: Ut hic Leo, hic homo &c. Incompletum contra est, quod alterius subsistit subsistentiâ: Ut ignis in ferro ignito &c. Completum in essendo ut & incompletum, infra à nobis describetur, hoc namque propriè hujus est Loci: Cum enim de ente quatenus à modis, id ipsum ad substantiam & accidens, contrahentibus, præscindit, in parte generali agatur, sequitur tales etiam affectiones earumque divisiones hîc esse proponendas. Rursus cum completum in subsistendo, subsistentiam involvat, infra ejus theoriam fusius esse proponendam, cum Excell. D. Calov. non dubitamus. Tandem 3. notetur *Synonymia*. Pro Synonymis *completi* communiter habentur: consummatum, Perfectum & Totum. *Incompleti*: Inchoatum, imperfectum & pars. Communiter dico; ἀπὸ βῶς enim si loquamur, contrarium evincere facile possumus. Argumentamur: Q. *formalibus differunt rationibus ea non sunt unum & idem. At Completum, perfectum, totum & consummatum: Item, incompletum imperfectum &c. formalibus differunt rationibus* E. Maj. suâ radiat luce. Min. prob. *Perfectum* enim *transcendentaliter* sumptum *formaliter* dicit indefectionem, seu carentiam omnis defectus entitativi. Vid. D. Cal. *Totum* est quod ex partibus debitò modò unitis constat. *Consummatum* item quid formaliter dicat, vid. apud Scheibl. *Completum* vero ab his differre, quis non videt, cum *formaliter* sit, quod essentiam habet ad alterius completionem non ordinatam, sed in se terminatam. Idem judicandum de ceteris.

§. 2. Hæc de primo. *Alterum* est, quod in hac thesi occurrit, *prædicatum*, ubi quatuor distincta à nobis asseruntur. Nempe quod completum cum suo opposito faciat 1. affectionem entis, eamque 2. non unitam, sed disjunctam. 3. Primariam, & 4. mediatam. Ubi ante omnia notandum, quod (1.) *affectionis* vocabulum hîc non sumamus *strictè & in rigore*, prout notat ejusmodi *passiones*, quæ, ceu accidentia præ-

Met. Div.
Part. Gen.
cap. 16. p.
516.

Cap. III. p.
287. &c.

prædicamentalia, suum denominant subjectum, quales in
 Physicis occurrunt : sed latè, quatenus notat talem conce-
 ptum generalem, qui ex ente fluit, idque transcendentaliter
 denominat. (2.) per *entis* voculam h. l. non intelligitur *ens*
determinatum & particulare, quale est homo, brutum &c. Sed
indeterminatum & ab omnibus inferioribus precisum, cui *affectio-*
nes, non *prædicamentales* ; sed *transcendentales secundum sta-*
tum fundamentalem & universalem in esse dicuntur.

§. 3. Hisce præmissis, ut theorematis nostri veritas
 pateat, singula ejus membra sunt probanda. Quod autem
completum & incompletum sint adequata entis affectio, à *requi-*
sitis affectionum transcendentalium firmiter probatur. Argu-
 mentamur : *cui competunt omnia genuina & propria affectio-*
nis Metaphysicæ requisita, *ei & affectio*. At *completo & incom-*
pleto competunt &c. E. Maj. est in confesso. Min. probatur :
 Etenim 1. *completum & incompletum* ab ente quodammodo
 differunt. Quamvis non *materialiter* : sic enim qui dicit
 completum & incompletum, ille etiam ens dicit ; Attamen
formaliter, dum nempe novam enti superaddunt conceptibi-
 litatem, ita, ut, qui completum concipit non simul hoc con-
 ceptu distinctè ens concipiat & representet. 2. *Ens denomi-*
nant. Non quidem *prædicamentali* ; *Transcendentali* tamen
 denominatione, cum enti, ceu aliquod extraessentiale à
 nobis attribuuntur, quamvis reverà tale non sint. 3. *Ex ejus*
natura per se fluunt. Equidem non ut effectus à sua causa,
proprie sic dicta ; Interim tamen in ordine cognoscendi ac
 concipiendi, seu juxta nostrum *ὁπολήψις & τρόπον*. Prius
 namque ens concipimus, antequam illud vel completum vel
 incompletum esse concipiamus. 4. *Cum eo recipiuntur*,
seu convertibiliter de eo prædicantur. Rectè enim dico : O.
 ens est vel completum vel incompletum, & contra. Quod
 completum sit affectio Paul. Voët. ita probat : *Quia hîc con-* Prim. Phi
ceptus non est ratio formalis entis ; Ergò erit conceptus aliquis entis los. Re-
consecutivus. Ergò secundarius. Ergò affectionis. Quod au- form. c. 12.
 tem *disjunctam* faciunt *affectiorem*, ex eo liquet, quia cum ente sect. 1. p.
 non in sensu unito ; sed *disjuncto recipiuntur*. Hinc di- 304. &
 A 3 co. O. 302.

co. O. ens est vel completum vel incompletum. *Primaria* dicuntur, quia in respectu ad mensuram & mensuratum enti magis intrinsecè competunt. *Mediata*, quia non *immediate* ipsum ens pro fundamento agnoscunt: sed *mediate*, mediante nempe perfectione essentiali seu transcendentali.

II. Completum est prius affectionis disjunctæ, primariæ, mediatæ membrum, juxta quod ens habet essentiam totalem in se terminatam, adeoque per se ad alterius complementum non est ordinatum.

§. 1. Tritissima ac à veritate non aliena hæc est completi descriptio, quam, quoad sensum, in omnibus fermè nostratum scriptis Metaphys. cernere licet, unde eam non immeritò retinebimus, atque paucis explicaturi sumus. Resolvimus autem eam in *onomatologicam* seu nominalem: Et *pragmatologicam* seu realem. Circa illam quæ consideranda, ex precedentibus possunt repeti.

§. 2. Sequitur ergò pragmatologia, ubi occurrit 1. *Conceptus determinabilis seu contrahibilis*, quem facimus: *Affectionis, disjunctæ, primariæ mediatæ membrum*. *Membrum* dicimus, non integram affectionem, quia solum *completum* entis latitudini non respondet, & cum eo reciprocatur; sed demum cum *incompleto* affectionem aliquam constituit 2. *Conceptus determinans seu contrahens*, in quo considerandum (1.) *materiale*, quod est, *ens seu essentia*, quam completum *fundamentaliter & subjectivè* involvit, cumque omnibus aliis affectionibus communem habet. (2.) *Formale seu ratio formalis*, per quam constituitur & ab omnibus aliis affectionibus distinguitur, est, quod debeat habere *essentiam in se terminatam & ad alterius complementum non facientem*. Hic autem observetur 1. *Genuina hujus formalis explicatio*. Phrasim nempe *habere essentiam*, non differt à τὸ esse *essentiam seu ens*, quin potius unum & idem involvit, uti ex descriptione entis etiam est manifestum, & saltem melioris cognitionis gratiâ h. l. à nobis retinetur, atq; commodâ explicatione juvatur ac conciliatur. Porro duo hîc facimus completi re-
qui-

quisita : Primum est assertivum & affirmativum, ut nempe habeat essentiam in se terminatam, non quidem essentia finitudine; sed (verba Excell. D. Calov. recito) absoluta essentia ratione, quam explicat alterum negativum : Quod non sit ordinatum ad alterius perfectionem sc. essentialiter & per se. Observetur hic 2. Formalis hujus confirmatio. Probatur formale hoc 1. ex ejus officio proprio, quod est partim dare esse, partim id, cujus est formale à quovis alio distinguere. Argum. Q. completo dat esse, idque ab affectionibus ceteris distinguit, illud ejus est formale. At esse in se terminatum, & ad alterius completionem non ordinatum, completo dat &c. E. Major omnibus grata. Minor ab inductione probatur. Cum enim hoc, illud & adeò omne ens, quod est in se terminatum, completum rectè dicatur, sequitur, quod completum per hoc nostrum formale tale sit. Et vicissim cum nulla affectio hoc nostrum pro formali suo agnoscat, patet, quod per id ab omnibus aliis affectionibus distinguatur. 2. Ex opposito, nempe incompleto. Argumentamur : Cujus oppositum pro formali habet : Non esse in se terminatum; sed ad alterius completionem essentialiter ordinatum, ejus formale consistit in eo, ut in se sit terminatum &c. Atqui completi oppositum, sc. incompletum habet &c. E. Maj. patet, quia oppositorum opposita est ratio. Min. probatur, quia anima dicitur incompleta, cum ad alterius completionem sit ordinata, & non habeat esse in se terminatum. Firma ergò stat conclusio.

III. Completum in essendo (quod propriè hujus est loci) dividunt authores in absolutum & comparatum.

§ Fundamentum hujus divisionis est rerum diversitas. Aliæ enim nec actu nec potentiâ unquam alterius complent essentiam, & hæ absolutè completæ dicuntur. v. g. Buccephalus, hic homo &c. Aliæ vicissim sunt, quæ quidem suam integritatem habent, & alterius essentiam actu non complent, interim eam complere iis non repugnat. v. g. aër, ignis, aqua, terra. Vid. Weiss. in Comp. Metaph. & alios.

IV. Incompletum est posterius affectionis disjunctæ, pri-

cap. 16. p.
514.

Lib. 2. sect.
2. cap. 10.
pag. 145.

primariæ, mediatae membrum, juxta quod ens essentiam habet partialem in se non terminatam, sed ad alterius completionem per se ordinatam.

§. 1. Postquam de completo hactenus actum, etiam incompleti theoriam tractandam suscipimus, ejusque descriptionem, qualem apud plerosque Metaphysicos invenimus, apponimus, quam iterum in nominalem & realem resolvimus. Circa utramque quæ sint notanda, facile ex præcedentibus colligi, & vi oppositorum ex theoria completi dijudicari poterunt, unde hoc super sedemus labore.

Disp. 14.
Metaph.
th. 9.

§. 2. Ut tamen res magis magisque inclarescat, paucis hic notabimus, quod ad incompletum requiratur 1. *ut essentiam habeat partialem*, quæ (notante CL. Seld.) cadit in entia incompleta *cum Physicè*, ut materia & forma: *Tum Metaphysicè*, ut sunt differentia ad totius universalis, præsertim vero ad speciei constitutionem ordinatæ. 2. Ut *alterum* illud, cujus in definitione seu descriptione nostra fit mentio, non sit *ens per accidens*, cum ad hoc complendum entia faciant completa; sed *per se*. 3. *Ordinari* debet non *arbitrariè & casualiter*, sed *naturaliter* seu *ex natura instituto*.

ARTICULUS II. PROBLEMATICUS.

Probl. 1. An completum cum incompleto faciat affectionem entis disjunctam adæquatam? Resp.

§. 1. A thesium explicatione, ad antitheseos examen devolvimur, & initiò bimembrem proponimus quæstionem. *Primum* ejus membrum est: *An completum cum incompleto faciat affectionem?* *Alterum*: *An, si facit affectionem, disjunctam?* Nos quæsti utriusque affirmativam supra in ventilatione th. 1. probavimus.

§. 2. Etsi autem hæc ita sint, contrarium tamen tenent per plurimi: Alii enim affectionem hanc, vel planè omiserunt, fortean dubitantes de illius veritate; Vel directè etiam negarunt. Illius generis sunt *Burgersdic. Sengverd. Stahl. &c.*
Hujus

Hujus *Suarezii*. cum *asseclis suis*, qui negat completum & incompletum adæquatam constituere entis affectionem, eò quod quoddam ens adhuc reperire liceat, quod nec completum, nec incompletum, cujusmodi est *anima rationalis separata*, quæ nec completum ens, quia aliàs corpori unita ens efficeret per accidens: Nec *incompletum*, quia quatenus separata est, non complet esse alterius. Alii porrò eam affectionem disjunctam esse inficiati sunt, uti *Paul. Voet. in Phil.*
1. Reformat. Ubi quærit: *An completum sit affectio simplex?* Et respondet quod ita, per eadem, quæ de perfecto dicta sunt. *Plerique tamen dissentiunt, pergit: Ut Combach. Scheibl. Verum meò judiciò sine ullo fundamento.*

Disput. Met. 32.
C. 12. sect. 1. pag. 304.

§. 3. Ast fallunt & falluntur hi omnes, uti è supra disputatis patet. *Suarezii* enim malè dicit animam separatam sub hisce membris dividendis non contineri, cum ad incompletum optimè possit referri. Ad rat. ejus *Resp. Dist. inter id, quod actu aliud complet, & inter id, quod ordinatum est ad aliud complendum.* Etsi anima separata non actu compleat hominem, ad eum tamen complendum est ordinata, & sic tamen ens incompletum manet. Porrò, *Paul. Voet.* putat quidem sine ullo fundamento à nobis dici, quod completum cum incompleto affectionem faciat disjunctam: Ast malè, cum fundamentum supra th. 1. sit monstratum. Et quid mirum, quod ille nobis talia ogganniat, cum falsam sibi antea formaverit completi descriptionem à nobis nondum approbatam. Ipse enim in precedentibus completum describit: *Completum est, quod habet omnia requisita in suo esse sibi debita. Vel (ut loquitur Caj. Jurisc.) quod ex omnibus suis partibus constat.* Quam descriptionem cum asserat, illud quoque statuere necessum habet. Nam ἐνὸς ἀτόπου δὸθέντῳ ἴαλλα συμβαίνει. Datò unò inconvenienti alia plura sequuntur.

l. 6.

II. An completum & perfectum, item incompletum & imperfectum sint Synonyma? *Resp.*

§. 1. Non quærimus hîc 1. de completo & perfecto &c.
B impro-

impropriè & vulgariter ; sed Metaphysicè seu transcenden-
taliter & propriè accepto. Nec 2. de Synonymis Logi-
cis ; sed de Grammaticis. Adeoque quæstio est : An com-
pleti &c. Synonyma Grammatica seu æquipollentia sint
perfectum & imperfectum propriè sumptum ? Cujus quæ-
stionis negativam supra defendimus.

§. 2. Errant ergò Pererius Conimbricens. item
Keckermann. aliique, qui hosce terminos inter se permutant,
putantes nullum hîc occurere discrimen, cum omne quod
completum etiam perfectum sit. Verum nos Resp. *Disting.*
inter modum loquendi proprium seu accuratum : Et inter minus
proprium & vulgarem. Hunc sectantur prædicti authores :
Illum vero accuratiores. Porrò ad id, ubi dicebatur hic oc-
currere non discrimen, cum omne completum sit perfectum,
Resp. *Disting.* inter *materiale & formale.* O. completum
imò & incompletum est *materialiter* perfectum, sed non *for-*
maliter, uti ex th. 2. art. prioris § 2. notum. Nec valet hîc
nonnullorum except. *non apparere quâ ratione ens incom-*
pletum possit dici perfectum. Nam res facilis est ex definitio-
ne perfecti incompleto applicata. *Perfectum enim est, quod*
non caret iis, quæ ad esse suum requiruntur. Jam *incompletum*
non caret iis, quæ ad esse suum requiruntur. E. incompletum est
perfectum. Min. patet impossibile namque idem simul ef-
se & non esse. Impossibile est ens incompletum esse ens in-
completum & tamen non habere ea, quæ ad esse suum incom-
pletum requiruntur.

III. An Deus, item accidentia Entia sint com-
pleta ? Resp.

§. 1. Affirmativa est nostra, quæ ex superioribus pa-
tet, applicando nempe descriptionem completi ad allata
exempla. Breviter argum. I. Q. *habent essentiam totalem in*
se terminatam, illa sunt entia completa. Deus, item accid. ha-
bent &c. E. Maj. è dictis patet. Min. haud facile negabitur.
Deus enim ex instituto suæ essentiæ ad alterius essentialem
completionem non est ordinatus ; sed in se terminatus. Ex-
titit

titit enim ante ullam creaturam, & etiamnum post eam existere posset, si veller. Accidentia item esse habent in se terminatum, nec ad alterius essentiale complementum faciunt. II. Q. directe & per se est in predicamento est ens completum; Accidentia proprie dicta sunt. &c. E.

§. 2. Negat. sibi vendicat Suarez. disp. 32. Met. ubi Deum & accid. negat esse entia completa. At Suarezium ex Suarezio refutare facile est; Ipse enim disput. 33. Deum & disp. 32. accidentia completa esse entia ipsemet fatetur. Pesimè itaque sibi ipsi contradicit, & sic nihil contra nos concludit. Nec est ut forte pro eo excipias 1. quod completum si ad substantiam applicemus, idem sit, ac composita substantia, qualis tamen Deus esse nequit. Nam Resp. hoc esse falsissimum, cum completa substantia & composita differant ut latius & strictius. Completum enim latius quid est, quam compositum. 2. Excip. Quod completum dicatur, quod ab alio vel intrinsecè, vel per modum partis completur. At Deus ab alio non potest compleri. F. Verùm Resp. Disting. inter completum nominaliter, propriè ac Metaphysicè: Et inter id participialiter ac impropriè acceptum. Jam dicimus falsum esse, quod completum Metaphysicè acceptum ab alio vel intrinsecè vel extrinsecè, uti supra etiam circa th. 1. fuit notatum. Manet ergo adhuc Deum rectè dici ens completum.

ARTICULUS III. AXIOMATICUS.

Axioma

I. Ex duobus completis non fit unum per se.

§. 1. Patet 1. ex definitione completi, quia unumquodque horum essentiam habet totalem, quæ ad alterum constituendum non est ordinata; quomodo jam ex hisce duobus unum fieri poterit per se. 2. Ex repugnantia unius per se. Illud enim est, quò constituitur ens per se, quod habet essentiam veram realem & positivam. At duo completa non habent unam essentiam, adeoque non consti-

9X

117

510

fituunt ens , sed entia. Ens enim & essentia sunt idem.

Limitatio.

§. 2. Valet (1.) de completis non unius nature : Ea enim possunt (in se simili) unum constituere. Sed diversa. (2.) de his non saltem, ratione essentiae ; Hæc enim adhuc se habere possunt ut actus & potentia : sed absolute & ratione substantiæ talibus. (3.) de completis non habitur incompleti, induentibus ; sed sic permanentibus.

II. Ens independens completum est.

Probatio.

§. 1. Patet 1. quia habet essentiam in se terminatam. (2.) quia ens in dependens perfectissimum est , in quod nulla cadit imperfectio sive ea essentialis, sive accidentalis saltem dicatur, ergo erit ens completum : Incompletum enim nomen imperfectiois est.

Limitatio.

§. 2. Valet (1.) de ente independente non & comparate ; sed absolute. (2.) Valet de ente completo non absolute ; sed nominaliter & absolute accepto.

Incompletum est nomen imperfectiois.

§. 1. quia tantum habet essentiam partem ab alio infert. Hinc que ad esse suum requiritur est completum, ut loquitur D. Calov.

Limitatio.

§. 2. Valet (1.) non de imperfectioe essentiæ. Hôc modô enim nullum ens est imperfectum. Sed (2.) de imperfectioe accidentali & gradualis, h. e. in respectu ad completum tali : sic enim non æquè de perfectione cum completo participat.

Plura videntur in B. D. Scharff. D. Calov, Seld. Spengler. Weiss. & aliis, ex quibus pleraque sunt desumpta.

Soli Deo Gloria !




Konf

ne



Q. H. 351, 3.

CC
E
D
An
MCHR
P
DA



60424



SICA.

TO
TO

uente

cedente

REIBERUS

ch.

nistit,

YMIO



inor.

112-



910

